

H. Sax. C  
182

H. Sax. C  
182

IMMUNITAS ANNORUM  
 ET CONSILIORUM SENECTUS  
 IN  
 SERENISSIMO AC RO-  
 TISSIMO  
 PRINCIPIS AC  
 DOMINI  
 DN. JOHANNIS  
 GEORGII  
 DUCIS SAXONIAE, JULIAE  
 CLIVIAE AC MONTIUM ANGRIB. AC WEST-  
 PHALIAE, ROM. IMPERII ARCHIMARSCHALLO  
 ET ELECTORE, LANDGRAVIO THURINGIAE, MARCHIONE MISNIE  
 S. NON UTINUS LESATIE, BERGAVIO MAGDEBURG. COMIT.  
 TE. RINGOLDINGATE HESSEBERGO, COMITE MARCAE  
 S. WESSEBERG. AC RABEN. DYNASTIA IN  
 LAVANTIN.  
 PATRIAE PATRE OM.  
 DOMINO S. G. EMENTISSIMO,  
 NUTRITORE MUNIFICENTISSIMO,  
 ILACDA BEATAOVE SED. PE. ECCL. N. M. M. MORTE  
 IN ERRE. ERRETO.  
 ESSE. H. L. USTRISSIMARUM EXEQVIARUM  
 IN  
 V. JUL. A. M. DC. XCV.  
 IN SOLEMNISSIMA PAVAGYRI  
 DEMORATA PUBLICE  
 AB  
 ACADEMIA LIPSIENSI  
 INTERPRETE  
 D. VALENTINO ALBERTI P.  
 LIPSIÆ. EMERIS JOH. GEORG.

*H. Sax. imp. 144*

112 et 115

IMMATURITAS ANNORUM  
ET CONSILIORUM SENECTUS,  
IN  
SERENISSIMO AC PO.  
TENTISSIMO  
PRINCIPE AC  
DOMINO,  
DN. JOHANNNE  
GEORGIO IV.  
DUCE SAXONIÆ, JULIÆ,  
CLIVIÆ AC MONTIUM, ANGRIÆQ; AC WEST-  
PHALIÆ, S. ROM. IMPERII ARCHIMARESCHALLO  
ET ELECTORE, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONE MISNIÆ,  
NEC NON UTRIUSQ; LUSATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGI, COMI-  
TE PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICO, COMITE MARCÆ,  
RAVENSBERGÆ AC BARBY, DYNASTA IN  
RAVENSTEIN,

PATRIÆ PATRE O. M.  
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,  
NUTRITORE MUNIFICENTISSIMO,  
PLACIDA BEATAQVE SED PRÆCOCI NIMIS MORTE  
SIBI EHEU! EREPTO,  
IPSO ILLUSTRISSIMARUM EXEQVIARUM  
DIE



V. JUL. A. M DC XCIV.  
IN SOLENNISSIMA PANEGYRI  
DEPLORATA PUBLICE

AB  
ACADEMIA LIPSIENSI,  
INTERPRETE  
D. VALENTINO ALBERTI, P. P.

---

LIPSIÆ, LITERIS JOH. GEORG.

Stattus Sylvar. L. 3. in lachrymis  
Hetrusci.

*Mediâ cecidere abrupta juventâ  
Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos:  
Qualia pallentes declinant lilia culmos,  
Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros,  
Aut uti verna novis expirat purpura pratis.*

D. VALENTINO ALBERTI. P.P.

LIPSIÆ. LITERIS JOH. GEORG.



Ascendenti mihi hanc Cathedram, intuentique Vos, P. C. & subsellia Vestra, quæ occupastis, & aram, quam ante oculos habetis, & hunc ipsum, quò ego confisto, umbonem, insolitæ quædam tenebræ offundi videntur, ut tametsi singulis hujus horæ momentis lumen diurnum incrementa capere non nesciam, me à nocte aut ejus confinio non multùm abesse putem. Adeò nigredine immerfa sunt omnia, pullatisque vestibus aut involucris obducta; vultibus etiam vestris, contra morem, nihil sereni præferentibus, & concentu Musicò, qui hòc aliàs locò auditur suavissimus, in ejulatum propemodum abeunte, ut ad luctum haut vulgarem, sed ingentem, sed maximum omnia composita esse, facile intelligam, & an silendum mihi sit, an loquendum, propè ignorem. At enim verò nihil mihi præter opinionem accidit, quem latere non potest, quod exiguum, temporis effluxerit, ex quo eandem tragœdiam hòc ipsò locò egimus, quam hodie, non scenâ, sed personâ mutatâ, repræsentare denuo, necesse habemus. Quid? quod ego vestigia mea non obtrita, sed recentia maximeq; conspicua hìc deprehendam, ubi me simili prorsus occasione verba fecisse ad Vos, A. non dememini. Sed clariùs loquar, ubi res non est obscura, vel occulta, nullisque verborum tegumentis involvi aut celari potest. Nuper admodùm quintum elapsum est semestrem, ex quo Divum Joh. Georg. III. Dominum olim nostrum Indulgentissimum,

simum,

fimum, ad illustrem tumulum absentes hęc locò comi-  
 tati sumus. Idem humillimum tristissimumque officium  
 præstamus hodiè Divo Joh. Georg. IV. Domino nostro,  
 dum viveret, Clementissimo, Icholasticis his ceremo-  
 niis non tam adumbrantes Aulicas illas solennitates, qui-  
 bus hodiè Illustrissimo funeri iusta Fribergæ solvuntur,  
 quàm verbis, habituque corporis animiq; mœrore sum-  
 mo magnitudinem luctûs nostri decenter exprimentes.  
 O quàm præcipiti fatorum ordine secutus est Patrem Fi-  
 lius! Quam brevi temporis spatîo licuit nobis à lugubri  
 festivitate feriari! Mari hoc accidit, ut raro sit maneatq;  
 diu tranquillum, sed orto hinc inde ventò, subito intum-  
 elcat, maximèqve tumultuetur: sic vita hominum ad  
 breve tempus quieta, gravissimas mox tempestates ex-  
 peritur, ipsaque fluctuat & naufragia parit, & mille di-  
 scrimina rerum. Vulgatum simile, sed aptum & peran-  
 tiqum, disertissimoque Græcorum Patrum Chryso-  
 stomo adhibitum, postquam Sartonius & Aurelianus in  
 exilium essent ejeti. Quantò rectiùs id nostro tempo-  
 ri accommodamus, quò post brevem moram Patrem &  
 Filium, utrumque Electorem ac Dominum nostrum de-  
 sideratissimum, non in exilium actos, sed exactos vitâ  
 ipsâ videmus, dolemusque. Mitiùs ante hæc tempo-  
 ra nobiscum agebat Deus, spatisque multò amplioribus  
 funera Principum nostrorum discernibat. Postquam  
 hoc seculo vitâ defunctus fuisset Christianus Secundus,  
 quinque supra quadraginta elabebantur anni, antequam  
 Johannes Georg. I. supremum obiret diem. Qui funus  
 illius secuti erant pueri, hujus exequias comitabantur se-  
 nes, vix memores eorum omnium, quæ vidissent illò tem-  
 pore atq; audiissent. Brevius sed longum satis interval-  
 lum fata Johannis Georg. I. & II. disjunxit, nobis post  
 quatuor & viginti demum annos, quos feliciter hic in-  
 Impe-

Imperio exegerat, celebrantibus funebrem denuò festi-  
vitatem. Sed quàm mutata fuit rerum facies ex illo tem-  
pore, mortuò post undecim regiminis annos Johanne  
Georg. III. Quarto verò, eheu! postquàm dimidium  
tertii vix superâsset. O arctissimas temporum angu-  
stias, in quas Principum nostrorum funera inciderunt!  
O præproperas fortunæ vicissitudines, quas nos experti  
sumus! Sicut per æstatem iis in locis, quæ sunt ad Septen-  
triones, Sol, ubi occidit, minimò post intervallo spatidq;  
temporis oritur vicissim, ac denuò conspicitur: ita con-  
trarium accidit nobis, Sole nostrò, postquam vix ortus  
fuisset, iterum occidente, inque densissimas noctis tene-  
bras conjiciente nos præter opinionem. O cladem in-  
gentem, quam perpeffi sumus, eoq; majorem, quò bre-  
vitas regiminis ac vitæ in Nostro illustrior fuit per exi-  
mias illas animi corporisque dotes, quibus instructus or-  
natusque erat à Deo, Princeps juvenili ætate sed senili  
prudentiâ florentissimus. *Amisimus, inquit de Valen-  
tiniano Juniore Ambrosius, Imperatorem, in quò duo pa-  
riter acerbant dolorem, annorum immaturitas & consili-  
orum senectus.* Idem profecto de Nostro dicere nos  
possumus ac debemus. Quod enim utrique defuit in æta-  
te, supplevit sapientia judicii que vis, concessa naturæ be-  
neficio studiò que acquisita. Erat Valentinianus Valen-  
tiniani, Johannes Georgius Johannis Georgii, Impera-  
tor ille Imperatoris, Elector hic Electoris filius, ut utrum-  
que semina prudentiæ, cujus specimina dabant luculen-  
tissima, cum ipso sanguine imbibisse, vero sit simillimum.  
Hæc enim hæreditatis pars est non incerta nec exigua,  
magnorum parentum liberos ut plurimum ad magna na-  
sci, & ad paria olim facienda fingi à natura non minùs,  
quàm impelli. Maximè verò hoc fit, quando non pau-  
cæ Illustres Familiæ inter Majores inveniuntur, quæ ut

B

vir-

virtutes suas in communes posteros derivent, diversas vires uniunt. Sicut flumina, quò plures alveo suo rivos recipiunt, eò fiunt majora: ita fortiores sunt stimuli, qui posteros ad virtutem incitant, si à Majoribus diversi sanguinis admoveantur. De hac verò felicitate gratulandum imprimis erat Serenissimo Electori nostro, quippe quod Parentem è Saxoniae Heroibus, Matrem è Regio Danorum sanguine accepisset, perque Aviam alteram à Marchionibus Brandenburgicis, alteramque à Ducibus Lüneburgensibus & Brunswicensibus ortum traxisset, earumque virtutum omnium, quibus tot Illustres animæ inclaruere, hæres à natura designatus esset. Quis putet, novercam illam extitisse in formandâ ejus indole, in quem sanguinem & vitam e tot Augustissimis fontibus tam benigne derivasset, ut ad divinam originem suam adspirare haut potuerit; quis putet? Quod si longius ire oculosque altius extollere ac in amplissimam Majorum seriem convertere liceat, quot inter eos videbimus Duces, quot Electores, famâ meritisque maximos? Quid? & Reges in hoc ordine, quid? & Imperatores non paucos deprehendemus, à quibus spiritum hausit Noster, per Majores suos in se transfusum, non sine habitudine ac inclinatione ad imitandum eos, qui in communionem gloriæ non minùs quàm sanguinis sui eum admisissent. Barbarorum hic mos sit, nobilitatem non ultra unius hominis vitam extendere, nullumque insignibus Majorum in hæreditate locum relinquere, quod nisi Viris bene meritis præmium hoc non sit tribuendum, nec sanguini, sed soli virtuti favendum. Enimvero hos inter feros & inhumanos prorsus homines nihilominus reperiuntur, apud quos dignitas parentum ad nepotes usque, si non ultra, generando propagatur, imo in Familiis imperantibus nullò temporis articulo numeroque;

roque;



roq; personarum circumscribitur, sed in omnes omnino posteros diffunditur in infinitum; adeò compertum est omnibus atq; exploratum, singulare quid ab Illustribus Majoribus transire ad Posteros, ut apti nati sint præ aliis ad sceptrum gerenda, publicamque rem feliciter administrandam. Eò verò liberalior in Principem nostrum extiterat natura, quò longior est illa Majorum series, per quam igniculos virtutis in ipsum devolvebat. Quid mirum? Flumina quò longius currunt, eò magis crescunt atq; adaugentur: ita sanguis Heroum incrementa sumit eundo, eoq; semper majora, quo plures sunt, per quos in posteros derivatur. Hoc ut de Beatissimo Nostro demonstrarem, opus non est, cum de antiquitate generis nemini non constet, eaq; tanta sit, quanta potest esse, cum est maxima, inq; illo adhuc infante signatissima comparuerint indicia, quæ de heroicâ Ejus indole, tot tantisq; Majoribus haut indignâ, manifestè testantur. Quid dicam de culturâ Ejus planè singulari? quæ cum nullibi major fuerit, vix parem in Aulis Principum invenit. Magnum hoc est omniq; laude dignissimum, eligi posse à Magnatibus aptissimum è multis, qui præsit educationi liberorum aut intersit; sed hanc felicitatem Divus Parens cum aliis habebat communem, non illam, quod Conjugem accepisset, quo nobilicrem è sanguine Regiò, eò aptiorem ac promptiorem ad teneram Serenissimi Filii ætatempie prudenterq; moderandam; quâ in arte tanta Magistra parem non habuit; tantum abest, ut majorem agnoverit. Vivit adhuc Heroïna, utq; diutissimè felicissimeq; vivat, precamur omnes. Ejus verò qui meminerit, aut conspectu ipsius alloquioq; gavisus fuerit, non potest non recordari ac venerari merita illa, quibus in educandò Principe Juventutis, Filio suo Serenissimo, totam Rempubl. sibi obstrinxit.

Sola

ORATIO

8  
 Sola hæc cura circumstabat Te, Domina, hæc  
 Te ubiq; comitabatur, lateriq; Principis nocte  
 dieq; jungibat, ut videres, quas in studio virtu-  
 tis & imprimis pietatis faceret progressiones.  
 Quàm jucundum erat spectaculum, videre Te,  
 Matrem Augustissimam, Par Filiorum incom-  
 parabile comitantem, quid? ducentem in tem-  
 plum! Quàm gratum DEO piisq; omnibus  
 exemplum præbebas Tuis, in fundendis publi-  
 cè privatimq; precibus, inq; colendò DEO pro-  
 cul omni superstitione ac temeritate! Quàm  
 prodigio erat simile, Te foeminam Regii ac E-  
 lectoralis fastigii, audire præsentem, sed & in-  
 telligere, quàm feliciter in lingvis, Principum  
 ore, more seculi, dignissimis, erudirentur profi-  
 cerentq; quàm utiliter historiam tam recen-  
 tem, quàm antiquam, in succum & sanguinem  
 verterent; quàm attente res gestas Majorum  
 suorum, ut aliquando eas imitarentur, ante o-  
 culos quasi positas jamjam intuerentur. O il-  
 lustrem pædagogiam, quam Mater Celsissima pruden-  
 tissimè in se suscepit! O singularem Ephoriam, quam  
 Foemina sapientissima, felicissime administravit! Ma-  
 gna hæc erat Prærogativa, quâ educatio Principis No-  
 stri, DEI gratiâ, gaudebat; sed non sola; cum & aliam  
 haberet, deprædicatione ac admiratione nostrâ non mi-  
 nus

nis

nus dignam. Quid intelligam, Vos, A. ipsi facile, me tacente, intelligitis. Fratrem, quem post mortem nunc habet Successorem, socium in pueritiâ & adolescentiâ, inque studiô linguarum & virtutum commilitem acceperat exoptatissimum; quippe quod ætate ne per integrum quidem biennium minor, dotibus verò animi ac corporis par esset ipsi ejusque similis examusim. Non nescio, quantum in educatione tribuendum sit æmulationi, præsertim in Heroicis ingeniis, quæ non alium sentiunt stimulum fortiolem magisque efficacem; sed hujus rationem jam non habeo, cum peregrinum imò mortuum æmulari Achillem potuerit Alexander M. nec vinculo sanguinis opus sit ad hoc calcar addendum infigendumque. Quod inprimis assero maximèque deprædico, est illud, quod præ Illustribus aliis Europæ Familiis præcipuum habent Principes Nostri, ut inter educandum & ad succedendum conjunctio duorum Fratrum sit auspiciatissima, Egregioq; Publico valde salutaris. Cogitate, A. de Ernesto ac Alberto, Principibus Optimis Maximis, à quo Illustrissimo Fratrum Pari prodiit Ernestina & Albertina Ducum Saxonæ linea, in hunc usq; diem, ac, quod optamus & speramus, æternum florentissima. Recordamini Friderici Sapientis & Johannis Constantis, Bigæ Fratrum Celsissimæ, sub quorum altero religionis fideiq; puritas, Lutherò adminiculante, Dei gratiâ, effloruit, sub altero in Comitibus Augustanis adolevit, publiceque Cæsari ac Statibus Imperii exhibita, fructus longe maximos tulit. Reputate, quàm fortiter Mauritius, quàm sapienter Augustus, Par Fratrum sine pari, publico prospexerit, bellicæ ac pacis artibus religionem non minus, quàm regionem juverit. Ne gravemini denique, ad Christianum II. & Johannem Georg. I. Fratres conjunctissimos, respicere, quorum ille seculum nostrum in-

C

thro-

thronò Electorali feliciter auspicatus est, hic dimidium  
 ejus auspiciatissimè superavit. Tot tantaque è Majori-  
 bus suis exempla secuti sunt nostri temporis Castor &  
 Pollux, Johannes Georg. IV. & Fridericus Augustus; de  
 quibus memini, Virum Aulicum, judicio ac doctrinâ pol-  
 lentem, aliquando ad me dicere: Nunquam in Domo  
 Saxonica educatos fuisse duos simul Principes fratres, pa-  
 ris cum hoc Pari spei ac expectationis. Præerat hic eo-  
 rum Studiis dexterrimè, optimèq; , quid valerent hume-  
 ri, quid ferre recusarent, callebat, ut non esset, cur  
 sententiam ejus tam benignè de Principibus suis latam,  
 in dubium vocarem; magis tamen magisque in illa con-  
 firmabar, postquam eodem mihi tempore aditum ad Eos  
 fecisset. Ablegatus eram ab iis, qui Acta Eruditorum  
 hòc locò in chartam lucemque publicam mittunt, ut Il-  
 lustrissimo Pari primitias illorum communi nomine hu-  
 millimè offerrem. Quod postquam fecissem, Beatissi-  
 mus Princeps varia quærebat diserebatque, sed erudi-  
 tè, sed prudenter omnia, prout de variis rebus gestis, de-  
 que Republica, nec non de naturæ operibus, Libellus o-  
 biter inspectus ingeniosissimo Principi materiam præbe-  
 bat ipse. Ad hæc ego stupere, inque Adolescente tan-  
 tæ dignationis, sed teneræ ætatis, cum vix quatuorde-  
 cim annos tum natus esset, judicium ac eruditionem ad-  
 mirari ac venerari, pluraque ac majora tacitè promitte-  
 re, quæ futuris annis ab Eò expectari possent. Umbra-  
 tica verò cum viderentur esse, quæ didicerat hætenus,  
 in lucem prodire, variaque regna diversasque Respu-  
 blicas perlustrare non gravabatur, & in Germaniâ pri-  
 mum, deinde in Belgiò, Angliâ & Galliâ, tandem etiam  
 in Italiâ exempla prudentiæ, cujus præcepta jam  
 tenebat, sollicitè conquirebat, seligebat, secutus exem-  
 plum maximorum olim hodieque Principum, imprimis  
 Pro-

Proavi sui Johannis Georg. I. & quem jam Electorem, maritum atque patrem compensare tarditatem peregrinationis geminâ excursionem, altera in Belgium, altera in Italiam viderat, Divi Parentis sui, eorumque, quid? exterorum etiam vestigia prudenter persequeretur, sua his relinqueret. Novimus enim, hæc ab illo impressa fuisse non tantum Aulis, sed & animis summorum Regum atque Principum, qui virtutes ejus, quas secum attulerat, amabant, æstimabant, suas vicissim non dissimulabant, sed hospiti exoptatissimo per exempla sua, omnibus præceptis fortius, instillabant. Domi enim Magni Principes, quod ab inferioribus addiscant, obviam habent; pares ac superiores Magistros non nisi foris inveniunt, eosque re, non ore, in thronis docentes audiunt, & jam intuendos, post imitandos sibi proponunt. Opus tamen est prudentia, propter commercium, quod inter virtutes & vitia ubique intercedit, facillimeque incautum decipere potest. Ad quod periculum declinandum haud parum confert prudentum ac probatorum hominum sodalium, quos inter peregrinandum comites habent, si non duces; qualem DEI providentiâ, expertus est Noster in Knochio suo, Viro Illustri, qui jam domi fidem ac dexteritatem suam per plures annos approbaverat. Ipsi, vitamque hæcenus, nunc viam iterque Principis prudenter se moderari posse, demonstrat. Quid itaque mirum, quod inter externos sine periculo versatus fuerit Noster, quodque feliciter ad suos redierit, & amorem sui foris reliquerit, domi magis magisque excitârit. Elector enim Parens, Princeps singularis judicii, videns, qualem filium DEI gratia recepisset, negotiis Eum publicis prudenter admovebat, inque Senatu Sanctiori proximè lateri suo jungebat; subditi verò, quantam inde de tanto Principe spem atque

expe-

expectationem conciperent, applausu suo haud obscure testabantur. Duo verò tempora cum sint, pacis alterum, alterum belli, quibus fortuna Reipublicæ libratur quasi, atque in orbem vertitur, & ad utrumque præparandus ac instruendus sit Principis animus, ut ad instar nautarum tam inter tumultuantes maris fluctus, quam ab blandiente cœli serenitate prudenter ad clavum sedere, cursumque rectè tenere dirigereque possit: Sapientissimus Pater, Heros Maximus, adversus Gallos fortiter pugnaturus, eum una secum in campum iterum iterumque educebat, quid? inter supremos exercitus sui Duces locum ipsi assignabat, ut quâ prudentia miles in arenam deducendus, quâ arte hostis oppugnandus, quo robore impetus ejus sustinendus, ipseque tandem vincendus ac triumphandus sit, experiendo disceret, discendoque experiretur. Hac in disciplina sub tantò Magistro aliquot annis versatus, quæ specimina non edidit? quæ prudentiæ ac fortitudinis exempla non præbuit? Nam & in expugnanda Moguntia toto periculosissimæ obsidionis tempore fortiter se gessit, & in Gallò in fugam trans Rhenum conjiciendo inter primos fuit, insigni hoc victoriæ auspicio pleno triumpho consummaturus, nisi morbi exercitum prius, mox Parentem ipsum, Heroem Inviictissimum, invasissent, debellassent, extinxissent. O ingrata funestæ diei memoriam, quæ nobis tantum Principem immaturâ morte, proh dolor! eripuit! Meministis adhuc, A., in quem luctum conjecti fuimus omnes, postquam nuncium accepissemus de obitu Principis, ad quem cum tripudiò excipiendum jam eramus paratissimi. Nec in quo dolori modum ponere potuissemus, superfuisset quicquam, nisi de Successore, tunc Dignissimo, jam Beatissimo, nobis prospexisset.

DEUS.

quam

D

DEUS. Egrotante morienteq; Patre Tubingæ, Filius erat in castris, strenuq; Ducis officium omnibus numeris adimplebat. Quid faceret, auditâ Ejus morte, à quò, post DEUM, acceperat vitam Ipse? Num spes, num hasta abjicienda? Num è conspectu hostis fugiendum? Num orbatî Patriæ Patre subditi deserendi? Nihil horum fecit fortissimus sapientissimusq; Filius Successor, qui castra priùs non reliquit, quàm exercitum jurejurando sibi obstrinxisset, & postquam domi funus Beatissimi Parentis splendidissimè composuisset, totum se subditis tradidit, eosq; sibi gratia non minus suâ, quàm juramenti religione obligavit. En verò quàm pateat nobis jam campus excurrendi in laudes novi Electoris, deprædicandiq; prudentiam Ejus, qua regimen suum haut infeliciter fuit auspiciatus. Natus erat tres & viginti annos, cum fasces Electorales manibus, humeris onus Æternâ gravius reciperet, prompteq; totus succollaret. Quantilla hæc ætas ad tantum honoris onerisq; fastigium! Sed in hoc juveniliū annorum flore senectus consiliorum resplenduit, eamq; in Beatissimo nos non minùs, quàm Ambrosius in Valentiniano suo, venerati sumus. Sive enim bellum strenuè gerendum, sive pacis negotia prudenter tractanda essent, ardorem quidem Juvenis, Viri verò vigilantiam prudentiamq; Senis in Principe nostro admirati fuimus. Cum superiori anno numerosissimus Gallorum exercitus ad Rhenum undiquaq; se effunderet, totamq; Sveviam Franconiamq; totam, & cur non Germaniam omnem? inundare vellet, non minima gloriæ pars cessit Nostro, quam de hoste ad incitas redactò, & ad regrediendum, fugitivorum in morem, compulso Germani reportârunt. Novimus, quàm amaverit colueritq; Principem nostrum Fulmen illud belli, Gallorumq; non minùs, quàm Turcarum Terror, Ludovicus Badensis;

D

quàm

1301

quàm prudentiam ejus atq; fortitudinem æstimaverit, laudaveritq; ! Nec hõc annò alium se gessisset, quàm fidiſſimum Imperii Principem foederisq; socium; quàm strenuum adverſus Gallos Bellatorem fortemq; Patriæ Defenſorem, niſi ſpes omnis immatura morte decollafſet. Sagum verò cum tantopere foris exornaret, domi togam non abjecit aut dedecoravit. *Audire in Conſiſtorio, inquit de Valentiniano Ambroſius, negotia, & Danielis ſpiritu, in quibus dubitarent ſenes, vel perſonæ alicujus contuitu ducerentur, congruam verò adoleſcentem videres ſenilem ferre ſententiam.* Noſtrum etiam in arduis ſubinde negotiis ſupra modulum ætatis prudenter ſenſiſſe, ſententiamque ne ſenibus quidem indignam, juvenem dixiſſe novimus & deprædicamus. Quis miretur ? Nam & Symbolo ſuo *Glorioſa, quæ Juſta*, fatebatur eſſe, ut quotidie, quid agendum eſſet ac omittendum, ipſe ſe tacitè admonere videretur. Enimverò ſi tempus regiminis computamus, quod cum primo tertii anni dimidio finitum eſt, mirari non poſſumus, ampliorem meritorum gloriam deberi Majoribus, qui DEI providentiã inter imperandum conſenuerunt. A juvene tamen his periculoſiſſimis temporibus Eccleſiam ſervatam, Rempubl. deſenſam eſſe, haut minimum ingentium laudum eſt argumentum. Quid de Scholis dicam, quas Seminaria illarum eſſe ſcimus, & quibus gratiam benignitatemque ſuam hoc ipſo annò teſtatam fecit Princeps, certoque experimento paulò ante mortem obſignavit, quando nobis, qui publico docendi munere hæc in Academia deſungimur, aureum illud Beatiffimi Avi beneficium in lignis denuo contulit, ſufficientique apparatu focos noſtros largiſſimè inſtruxit. Veterum Sapientum hæc fuit ſententia : Melius impendi non poſſe pecuniam, quam in eos, qui alios bene vivere docent.

Hoc



Hoc vero dum agnovit Beatissimus Elector, factoque ipso comprobavit, nos senectutem, quod est, maturitatem consiliorum in Principe Juvene jure meritoque admiramur, atque celebramus. Sed cum hâc senectute conjuncta fuit, eheu! annorum immaturitas; quæ duo, nobis iterum iterumque fatentibus, acerbant dolorem nostrum. Valentinianus, super quo eandem querelam lugubri voce profert Ambrosius, natus erat, cum denasceretur, sex & viginti annos; quod contra Ammianum ex Socrate ipsisque tabulis Consularibus dudum à doctioribus fuit demonstratum. Ejusdem propemodum ætatis Princeps fuit noster, ut cum Valentinianum Imperatorem prudentiâ æquaverit, ætate superare non potuerit. O immaturitatem annorum, qualis post Christianum II. in nullo ex Majoribus Principis nostri deploranda fuit. Enimverò nomine quidem reliquos hoc seculo referebat omnes, ætate reddebat nullum, quippe quod dimidium vitæ Divi Parentis superaverit tantum paululum, Avi & Proavi ne quidem sit affecutus. In eadem temporis angustias regimen Ejusdem incidit, abruptum finitumque, antequam tertius ab auspicio ejus effluxit annus; cum Proavus, Johannes Georg. I per quinque ac quadraginta, & Avus per quatuor & viginti annos Electoratum gesserint; imò spatiolum undecim annorum, quod imperandò Parens confecit, ne quarta quidem ex parte Filius expleverit. Multum dixi, dum de brevitate vitæ atque regiminis dixi; sed nondum attuli omnia, quæ cum immaturitate annorum conjuncta sunt, luctus nostri argumenta. Mortuus enim est, eheu! Elector noster, antequam sibi de posteritate, nobis de Successore consuluit. O damnum irreparabile, ac si priora & propiora respiciamus tempora, prorsus singulare. Johannes Georg. I. cum fatò fungeretur, quatu-

CT

or habebat filios, maturos omnes ad regendas, quas ipsis assignaverat, regiones; in coelestem Paradisum non translatus, nisi postquam terrestrem apud nos effigiasset, quatuor flumina, quæ illum irrigabant, repræsentando in quadrigâ Filiorum, quos in solatium subditorum post se relinquebat. Hujus Filius, Johannes Georg. II. quasi numerò certare nollet, unum, sicut Tertius duos sibi superstites Filios vidit, Noster autem nullum. O hiatum ingentem, eoque majorem, quo illustriores etiam sunt, qui per eum afficiuntur. Non enim ad nos subditos tantum, totque regionum populos, variorumque Ordinum homines hæc ruina pertinet, sed ad Te, Heroïna, quam viduam, quam orbam marito soboleque ex se omni Elector reliquit, in primis spectat. O quanto gaudio & applausu excipiebamus Te, Domina, cum ante biennium hac in urbe matrimonio ipsi solenniter jungereris; quibus votis atque suspiriis Te novam Conjugem cum Marito Tuo hinc abeuntem prosequeremur! Noveramus virtutes Tuas, easque admirabamur, dignissimasque censebamus esse, quarum simulacrum ex Te gigneret, Tui simillimum, hæredem tot regionum, sed & Tuarum virtutum, qui nobis ac posteris nostris post longissima tempora felicissime imperaret. Sed DEO aliter visum, qui breve, qui sterile ac utroque nomine prorsus lamentabile conjugium Tuum esse voluit. Habemus tamen, unde

in

-b91

in hoc publico luctu solatium petamus, quo Te, Domina, quo nos ipsos reficiamus & oblectemus. Ambrosius, cum lugeret Valentinianum suum, fortius adversus dolorem remedium non quærebat, nec inveniebat, quàm spem de salute mortui, quam æternum in cœlis possideret. Sed Catechumenus ille erat, prisca Ecclesiæ formula, nondum baptizatus corporique Ecclesiæ solenniter insertus; *quem tamen*, ita loquitur Ambrosius, *Christus baptizavit, quia humana ipsi officia defuerunt; ut deterisa labe peccati ablutus ascenderit, quem sua fides lavit, & petitio consecravit.* Credamus, ita concludit sanctissimus Vir, *quia ascendit a deserto, hoc est, ex hoc arido & inculto loco ad illas florulentas delectationes, ubi æternæ vitæ fruitur voluptate.* Noster vero quo plenius jus in regno gratiæ acceperat per baptismum, quo magis illud per alia Christianæ fidei mysteria vindicaverat sibi, firmaque in CHRISTUM fiducia consecutus erat; eo certius nos de æterna Ejus beatitudine gloriari, ipsique gratulari possumus. Cum Valentinianus violenta parricidæ manu e vivis eriperetur, procul aberat Ambrosius, deque hoc ipse dolet queriturque quam maxime. Hinc gemitus ejus & suspiria: *O juvenis, inquit, optime, utinam Te viventem invenire potuisssem! Utinam te dilatio aliqua meo reservasset adventui!* Sed Ambrosium suum Noster habebat præsentem, sibi que conjunctissimum, qui loco DEI cum Eo ageret, monitisque Eum salutaribus piisque precibus juvaret, ac morientem Ecclesiastica benedictione dimitteret, vitæque æternæ Candidatum initiaret. Inter hujus, quid? inter Matris, quid? inter Conjugis amplexus, omniumque, qui ex Aulicis præsentibus erant, ardentissimas preces efflavit animam Beatissimus Princeps noster, eamque DEO, a quo acceperat, prompte

E

red-

reddidit, æternumque consecravit. O ingens solatium, quo non dari potest, non expectari nec expeti majus certiusque! Hoc vero cum in cœlo nobis quærendum sit, aliud, quod in terra reliquit, gratissimo etiam animo agnoscendum est a nobis deprædicandumque. Ad Fratrem me respicere, Dominum hodie nostrum Clementissimum, facile A. intelligitis, in quo vivere ille regnareque denuo incipit; quemadmodum hic easdem, quod est, pias & salutare imperandi artes iisdem olim Magistris addidit. & peregrinando, foris, domi in toga & sago excoluit consummavitque.

Primus hic est inter omnes Saxoniarum Electores, qui svavissimam Augustissimorum Nominum societate Fridericus Augustus dicitur. Subsit omen! In Augustissima Domo Austriaca qui primi nomen quoddam gerunt, fortunam faventem habere creduntur; cui observationi hodie Leopoldus I., Invictissimus ille Turcarum Domitor Gallorumque Victor, in primis fidem facit. Quid obstet, quò minus nos de Friderico Aug. I. idem speremus, idem promittamus? Tres, si Johannem Fridericum omittamus, habuimus Fridericos Electores, Augustum unum, foecundissimos Patriæ plurimumque, unò excepto cœlibe Friderico III. Liberorum Patres. Talis sit & evadat Noster etiam Fridericus Augustus, ut secula posteritas sub Filiis ejus Nepotibusque floreat

æter-

æternum. Ad maturam & plusquam virilem  
 ætatem omnes, plerique etiam ad senectutem  
 sani vegetiq; pervenerunt: sit & Noster mane-  
 atq; integris animi corporisq; viribus in seros us-  
 que annos, vivendoq; supra Mosis calculum, ac  
 imperando ultra dimidium seculi, Ipsum Augu-  
 stum Cæsarem & Fridericum III. Imperatorem  
 æquet superetq;. Habuimus Fridericum Bel-  
 licosum, Placidum atq; Sapientem; habuimus  
 etiam Augustum Pium, verè Augustum: accipia-  
 mus etiam in Nostro Heroem Bellicosum, Prin-  
 cipem Placidum, Patrem Patriæ Sapientem, &  
 re non minùs quàm nomine Augustum atq; Pi-  
 um! Imò accipiemus; quis dubitet? Habemus  
 enim in Uno omnes, Unum Frideri-  
 cum Augustum.

Dixi.



referant. Ad maculas & pluresque vitium  
 etiam omnes priusque etiam ad lectuam  
 tam vegetis perveniant: in & Noster mande  
 ad in regis amicitia proposita in his in seruis  
 que arbor, ut ceteros supra Noster calculum ac  
 impendat etiam dicitur loculi, lorum, argu-  
 rum Ceterum & F. dicitur in his in seruis  
 exquirat. Thomaus F. dicitur in his in seruis  
 hoc in F. dicitur ad sapientiam; habemus  
 etiam Augustum iam veteri in his in seruis  
 in his in seruis Noster H. dicitur in his in seruis  
 etiam F. dicitur in his in seruis sapientiam &  
 et non minus dicitur in his in seruis  
 qui in his in seruis; quibusdam habemus  
 etiam in his in seruis. Quam F. dicitur

cum Augustum  
 Dicitur





